



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 38. S. Henricus Imperator coronatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

Sæculum XI.
A.C. 1014. cionem deletis, sexaginta Presbyteros, quibus, priusquam necarentur, furiose illuderent, servarunt. Quippe miseros dissecta in formam crucis suprema verticis pelle, atque etiam cranio, ita ut cerebrum perspiceretur, perforato, per omnes Sclavorum urbes, ligatis a tergo manibus circumduxerunt, cæciderunt, & donec quisque eorum occumberet, torserunt. Acta horum Martyrum, si conscripta fuissent, grande volumen impleissent. Ita omnes Sclavi inter Albim & Eidoram positi Christianæ Religioni, postquam eam annis septuaginta, scilicet Ottonibus imperantibus, tenuissent, renunciarunt.

§. XXXVIII.

S. Henricus Imperator coronatur.

Chron. Sax.
Ditm. lib. 7.
init. Inter hæc Rex Henricus, itinere in Italiam suscepto, Papiæ Festum Nativitatis Domini anno millesimo decimo tertio celebravit. Benedictus Papa VIII. prior Romam redierat, cumque & Rex advenisset, Imperator coronatur vigesima secunda Februarii anno millesimo decimo quarto, in festo, quo S. Petri Cathedra colitur. Ritus autem hic servatus. Henricum Regem & Cunegundem Reginam vallabant duodecim Senatores, quorum sex barba rasa Romanorum, & sex proluxa, in superiore labro decore horri

Muratori
Anecd. to. 2.
p. 204.

horrifico more Francorum, baculos in ^{Sæculum XI.} manibus tenentes, incedebant. Ita ad A.C.1014. Basilicam S. Petri, ubi eum Papa præstolabatur, perveniens interrogatur, an Romanæ Ecclesiæ Defensor, Papæ autem ejusque Successoribus per omnia fidelis esse vellet. Rege id promittente, Papa eum consecravit & Imperatorem cum Regina Sponsa coronavit & priorem Henrici coronam super Altare Principis Apostolorum suspendi præcepit. Eadem die Papa Principibus cœnam exhibuit sumptuosam in Palatio Lateranensi. Hæc ita a Ditmaro Episcopo accepimus.

Glaber Monachus relatis adjicit, Pon- ^{Lib. 1. hist.} tificem præparari jussisse pomum au- ^{c. ult.} reum, cinctum duobus circulis gemmeis decursatis, supereminte cruce ex auro purissimo. Pomum typus erat mundi, Crux Religionis Christianæ, cujus tutela ad Imperatorem spectat, & gemmæ figura erant virtutum, quibus Cæsarem, Mundi Dominum, ornatum esse decet. Pomum mundi Symbolum non erat novum inventum, nam in nummis antiquis Antiqui Imperatores ejusmodi signum rotundum manibus tenere visuntur. Cum ergo hoc pomum coram omni populo a Papa sibi datum Imperator hilari vultu acciperet, *docere me vis*, inquit, *Sanctissime Pater, qua potissimum ratione me populos regere oporteat.* Tum pomum

Sæculum XI. suspiciens, adjecit: *Nemini mortalium*
A.C. 1014. *hoc donum magis convenit, quam illis,*
qui ꝑ. oculcata mundi pompa, libere Cru-
cem sequuntur. Tumque pomum istud
 aureum misit ad Monasterium Cluniacen-
 se, quod jam antea muneribus plurimis
 cumulaverat, quia illa ætate nullibi san-
 ctius Regula observari credebatur. Ad-
 dit Glaber in hoc loco: *Sanæ rationi*
omnino consentaneum, & consuetudine
optimæ approbatum videtur, quod nullus
Principum Imperatoris Titulum sibi ar-
roget, nisi quem ob magna merita Papa
elegerit, & tantæ Dignitatis insignia tra-
diderit. His verbis Glaber testificatur,
 quamam hac de re illo ævo opinio vige-
 rit, nam ista Historia S. Odiloni, anno
 1049. fatis functo, inscripta est.

Henricus Imperator Romæ commo-
 rans aliquando ex Presbyteris quæsit; *Bern. Aug.*
de Miss. c. 3. cur recitato Evangelio Symbolum Fidei
 non decantarent, ut mos in aliis Eccle-
 siis ferebat. Responderunt: cum Eccle-
 siam Romanam nullo unquam tempore
 Hæresis infecisset, non opus esse, ut Fi-
 dem suam, nec dubiam, nec suspectam,
 profiteretur. Nihilominus suadente Im-
 peratore Symbolum in Missa solemni de-
 cantari imposterum Benedictus Papa jus-
 sit. Id nobis Berno Abbas Augiæ divi-
 tis, cum hæc gererentur præsens, testa-
 tum facit.

§. XXXIX.